



98





IOAN. CASELII
Oratio funebris
ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
IOANNI
duci Megapolitano , principi
VANDALORVM &c. SCRIPTA
IN ACAD. IVLIA.



HELMÆSTADII
Ex officina typographica Jacobi Lucij.

Anno M. D. XCII.



IOANNIS CASELII
Oratio funebris
ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
IOANNI

*duci Megapolitano, principi Vandorum
Ec. scripta in acad. JULIA.*

VTINAM tibi, dux IOANNES, vtinam hoc officium persoluere non necesse habeā: vtinam hanc lucem aspicias, quod & omnes tui, & ad quoscunq; fama huius casus peruenit, ex animo velint. Hoc erat op̄tabilius, quod si non tua, sine dubitatione tamen nostra gratia. Verum, quia consuetudinem mortaliū reliquisti, non deplorabimus, quod nullo vñquam tempore, nec lacrymis, nec ploratu, nec animi cruciatu, recuperari potest, & si deploramus, dolore victi siue humanitate: sed omnino memoriam virtutis tuæ & meritorum sanctè conseruabimus. In quo alios viros eloquentia præstantes, rerumq; humanarum æquos censores, scio conaturos

A 2 ali-

aliquid, & ipse laborabo, & faciam, quod me-
arum esse partium intelligo. Causae autem mi-
hi nihil est, vt alia dicam, quam quae & ipse
perspexerim, memoriaq; teneam, & non mi-
nus vicinæ gentes, quam ipsi. Megapolitani
nouerint, & uno ore prædicent. Utigitur ad
rem veniam, ordinar à quo proximo tempore
debere mihi videor. Historiam belli Germa-
nici, quod CAROLVS V. imperator aduer-
sus duces Saxoniæ gessit, nemo ignorat, nisi
communisvitæ & negotiorum publicorum
imperitus. Est enim eius memoria ita recens,
vt illæ res non solum ex monumentis cogno-
sci, sed etiā ex multis, qui spectatores illarum
calamitatum fuerint, audiri potuerint. Id in-
testinum bellum consopitum iam erat, &
constituta pax in imperio, lege promulgata
de libertate religionis: non qua cuiuis nouam
liceret inuenire, sed extra periculum essent,
qui protestantes iam tum dicerentur, professi
Christianam fidē, quæ demonstrari ex sacris
litteris posset, & semper cōseruata fuerit in ec-
clesia catholica aliâs clarius, atq; aliâs. Non
nauaratautem hac in re minimā operam, cer-
to suo

to suo periculo & incommodo maximo, dux
IOANNES ALBERTVS, ALBERTI
filius, MAGNI nepos, libertatis patriæ cum
paucis vindex, & fundator salutis publicæ. Ad
annos enim quadraginta illorum beneficio
pace & otio fruimur: idq; vt nobis posterisq;
nostris perpetuum sit, precamur. Sic igitur re-
bus constitutis, dux IOANNES ALBER-
TV S gratia florens & gloria, ducis Borusso-
rum, Marchionis Brandenburgici, ALBERTI
filiam, ANNAM SOPHIAM ambiuit, &
vxorem duxit, regum in morem, in Megapolí
Vismariæ celebratis nuptijs. Felix id fuit, nec
infæcundum coniugium. Coluit enim illa
maritum omni obseruantia toto vitæ tem-
pore, quæ cum summa sit vnicuiq; mortali-
um felicitas, regibus longè maxima est. Primo
quadriennio enixa fuit duci IOANNI AL-
BERTO tres filios, ALbertum, IOannem, &
SIGIsmundum AVGVstum. Hic de fratribus
superstes solus est: nec aliud optat Megapolis,
quàm vt diu patriæ superstes sit: nec aliud spe-
rabimus, qui annis etiam primùm floret. AL-
bertus infans in Borussiā ad auū ALBERTUM

A 3 dedu-

deductus, in infantia ibi extictus, tanto mai-
us & auo & parentibus sui desiderium reliquit,
quod de eius indole ex ijs signis, quae etiā in in-
fantibus apparent, siue os ipsum spectes, siue
motus animi, spei concepissent plurimum:
vt nihil dicam de astrologorum prædictioni-
bus, qui pollicerentur conditioni consenta-
nea plæraq;, & alia supra conditionem: sed
ALBERTVS ille rebus humanis exemptus
antè, quam mortalium calamitates experire-
tur, cœlestis regni particeps sine dubitatione
factus fuit. Pater, dux IOANNES ALBER-
TVS, princeps pius & copia bona doctrinæ
præ plærifq; sui ordinis instruetus, dolori
quantum potuit, medicinam fecit, & ani-
mum adiecit ad duorum filiorum educatio-
nem. Id consilium diligenter & religiose vr-
gebat, atq; hoc magis, tum quod quid in se e-
ducando neglectum esset, perspiceret, tum
quod rationem educationis regiae teneret
princeps ad primè litteratus. Nec vero solum
paruulos adsuefecit disciplina domestica ad
mores regios, sed & vtrumq; litteris voluit im-
bui, vt eorum animi, quo usq; posset fieri, ad
virtu-

virtutem regiam & imperium subigerentur,
& perficerentur. Ut igitur primum fari pote-
rant, filijs adolescentem adiunxit probum &
industrium, disciplinæ Dabercusianæ alu-
mnum. Hoc enim etiā non præterire debo,
quantæ curæ optimo illi principi fuerit educa-
tio quoq; suorum ciuium, & ea cum primis,
quæ per artes liberales absoluueretur. Itaq; non
solum academiam Rostochianam, adiuuan-
te fratre, duce HVLDERICO, instaura-
uit, sed & exemplo ducis MAVRICII septē-
uiri Saxonici, qui tres ludos in suis prouincijs
sapienter condiderat, ipse quoq; similem lu-
dum litterarium à Marco Dabercusio, viro
docto & in docenda pueritiacum laude versa-
to, aperiri iussit, nulli parcens interim sum-
ptui. Delibarant principes fratres de litteris,
quod potuerant per primam pueritiam, iamq;
non longè princeps IOANNES à puber-
tate aberat; ibi patri visum fuit vtrumq; ma-
gis remouere à gynæceo, & dare filijs aulæ
magistrum, & informatorem animi: nec pu-
tabat id consilium sibi ē manibus dimitten-
dum: præsertim cum constituisset ad comitia
imperij

imperij proficisci, quæ tum Spiræ indexerat
Cæsar MAXIMILIANVS secundus, vbi
videretur etiam plusculos menses commora-
turus, quemadmodum & euenit. Confirmata-
batur in hoc instituto à familiaribus, quorum
consilijs potissimum nitebatur. Erant autem
præstantes viri, vt eos mihi rectè nominaturus
hoc loco videar. Erat Henricus Belouius,
aulæ Mariscalcus, quod munus idem postea
gessit apud regem Daniæ, FRIDERICVM
II. gratiosus apud regem, regni proceribus ita
carus, vt æquissimavoluntate intelligentium,
& sine inuidia satis bonorum, adscitus in se-
natum regni, eo loco etiamnum floreat: erat
Gotislobus Rotermundius, non solum disci-
plina legum & vulgari quadam doctrina ex-
cultus, sed imbutus quoq; reconditis illis La-
tinis Græcisq; litteris, qui hodiè consilio etiam
præsto est sapienti principi Pomeraniæ BO-
GISLAO: Henricus item Husanus Cancel-
larius, non minus ipse consilio pollens, quam
eloquentia, præstans fide, industrius, & dexter
in gerendis negotijs, in consuedudine quoti-
diana falsus absq; acerbitate, & elegans, atq;
ita

ita multiplici nomine gratus principibus: &
his de cauſis primas partes administravit re-
ip. Lunęburgensis, quā syndicen egregiè ges-
ſit, quamdiū vixit. Idem viſum fuit Andreæ
Mylio, de quo, vt ſocero, dicam parciuſ:
vnum tamen, quod omnibus innotuit, & à
me quidem iudicatum, nec minus tamen à
multis alijs: noſtra ætate in ſummorum re-
gum aulis ſimul Græcis litteris & Latina elo-
quentia præſtantiorem viſum fuſſe nemi-
nem: qui & hodie ſupereret, quando Mega-
politanis ducibus opera & conſilio præſto fuit
annoſ ipsos quadraginta quatuor, mœſtus mo-
do & ſqualidus, nō tā graui ſenecta, quām caſu
dupliči, tūm publico, tūm domēſtico, quod
ijsdem quoq; diebus amifit coniugem cariſſi-
mam, quibus tam miſerabilis facies nata fuit
vniuersæ prouinciæ. Verum, ne videar longius
digredi, & ſi mansiſſe mihi in re videor, quod
cum ſapiente ſenatu ſapiens princeps de edu-
catione filiorum decreuit; id ita conſtitutum
fuit ea ætate. Cui aulam mandaret, in aula
erat, de quo dicam deinceps: cui infor-
mationem animi crederent, me idoneum præ alijs

B

censue-

censuerunt. Docebam ego tūm in aca. Rosto-
chiana ex Latinis & Græcis fontibus iuuentu-
tem eam philosophiæ partem, quæ rebus ge-
rendis destinata est, siue priuatim quis malit
vitam degere, siue remp. capessere, quam
mihi aetricem libet interpretari: hanc ego
docebam de sententia ducis IOANNIS
ALBERTI, quanta possem equidem diligen-
tia, nec sine fructu auditorum & dignitate
scholæ, siue ego hoc putabam, siue ita erat:
ut esset, conabar profectò: docebam & artem
dicendi, non ex lacunis, sed ex ijsdem fonti-
bus. Etsi igitur opera mea absq; iactura studio-
rum publicorum academia carere non pote-
rat, quod qui me norant, absq; arrogantia &
verè etiam dictum intelligunt: tamen à quo
semper ornatus fuisse, quiq; mihi præmium,
nec petenti, nec expectanti, nouum decerne-
ret, eius voluntati reluctandum non putaui. Si
cum potentes rogāt, mandare dicuntur, quan-
to grauius debet eius esse imperium, siue po-
tius gratius, à quo singularia beneficia acce-
peris. Iis enim cum lubentes obsequimur, grati
videmur, & quasi gratiæ aliquid referre, certè
studio-

studiosi eius referendæ. Nec erat, quod vel æta-
tem, vel vitæ imperitiam, vel inscitiam præ-
tenderem. Necesse videor mihi habere, aut si
non opus est admodum, non prorsus repre-
hendendum puto, si de medicam, quod huc
tantum pertineat. Leue hoc, quod ea mihi
iam ætas, quam poëta Græcus in aratore pro-
bet, quod constantior; nec anni ad quadragin-
ta vergentes, facile huc illuc rapiantur: leue,
quod pontificum, Cæsarum, regum, ducum
aulas videram, et si non colueram: quod nec
mihi cordi fuerat, nec vnquam speraueram:
quin sciebam, nec moribus, nec animo me ad
id genus vitæ factum. Negare autem minimè
poteram, me haudquaquam rudem esse edu-
cationis regiæ. Quæso, vt quæ dicam, auditor,
accipias sine stomacho: nec existimes, me
hoc agere, vt ipse decantem laudes meas:
quod si quis tamen malit, ita accipiat, dum ve-
ra esse comperiat, quæ dixero. Ego principis
prudentiam volo perspici ab alijs: alios item
discere, quomodo se parent, qui tale munus
ambiant: alios, cuiusmodi deligant ad educa-
tionem regiam. Non fugiebat me quidquam

earum doctrinarum, quibus educatio cum ci-
uium tum principum ostenditur, siue delineat-
ur. Perscrutatus enim fueram, quæ Plato, Ari-
stoteles, Xenophon, Plutarchus, similes, tradi-
dissent; neq; vero etiam neglexeram inferio-
ris ætatis scriptores, neq; nostri sæculi. Audie-
ram de hac te differentes eximios viros, vt Pe-
trum Victorium, magnum illum litterarum
athletam, Ioannem Cratонem, trium impe-
ratorum archiatrum: qui architecti siue ma-
gistri humanæ vitæ esse poterant, tam usu lon-
go rerum, quam ex studijs sapientiæ. Inspexe-
ram præterea educationem filiorum impera-
toris MAXIMILIANI II. quam rectam
fuisse negari non potest, quod omnes ad sum-
mam clementiam peruererunt & beneficen-
tiām perpetuam: quas regias virtutes à natura
inchoatæ educatione vera perfici censemus.
Deniq; sermonem contuleram diligenter
cum informatoribus aliquot principū. Ex his
duos potissimum, quos valdè probarim, hoc
loco nominabo, Saxonem Thomam Hubne-
rum & Hetruscum Antonium Angelum.
Hubnerus, de cuius viri integritate & luculen-
té scri-

tè scribendi mirifica facultate, qua Cratonis
& meo iudicio æquales in Germania facile
superat, amici præclarè sentiunt, docebat sep-
temviri Marchici, IOANNIS GEORGII fili-
um, Marchionem IOACHIMVM FRIDE-
RICVM, qui hodiè administrat archiepisco-
pen Magdaburgicam: Angelius COSMI
MEDICIS, magni ducis Hetruriæ, filium
FRANCISCVM, qui successit patri: ho-
diè fratre rebus humanis exempto tertius
magnus dux Hetruriæ est, FERDINA DVS
MEDICES, deposita amplitudine Cardina-
litia. Fuit autem Angelius summa humanita-
te præditus, Petri Angelij, poëtarum in Italia
tum principis, amici mei, frater, non minus
Græcis, quàm Latinis litteris pereruditus. In
cæteris autem & ipse alumnum illum suum
nobilem Iliada docuerat, magnum illum
Aristotelem secutus. Quòd si cui de meni-
mium dixisse videar, is sic circa nimium etiam
de amicis me dixisse, ne existimet. Neq; enim
illorum hominum mea æquat oratio. Cum
porro & magisteraulæ quæreretur; inuentus
fuit ei prouinciæ valdè idoneus: Henricus Pe-

Iecanus, Marchicus, vir fortis, qui militarat iuuenis in Gallia, idem integer, ab omni fastu alienus, sobrius, officij studiosus & humanitatis, Gallicæ linguæ peritus, amans litterarum & doctorum hominum: qui se in pueritia è ludo litterario abreptum ad militiam & in aulas, sæpe deploraret: ætate tamen & tractatione rerum plurimum profecerat. Cum igitur in aula Megapol. Suerini pluribus iam annis, industriam & fidem & duci & omnibus probasset, non dubitauit dux, ei hoc munus primarium credere, in quo se gessit, vt bono viro dignum fuit, dies noctesq; pro salute nobis creditorum principum excubans. Ita autem inter ipsum & me optimè semper conuenit, vt officijs inter nos certauerimus, & tūm initam amicitiam in hunc diem sincerè colamus: si quid vellet, ei morem gessi, nec ille mihi quidquam negauit: non dextris & verborum promptitudine, sed animis, & vt dixi, officijs rem gessimus: quod possem equidem multis explicare, sed verbo complectar omnia: ipsi reliqui suas partes, quæ meæ erant, in ijs me adiuit sedulò. Seruiebat & principibus nobiles
adoles-

adolescentuli, probi, & ipsi litteris dediti: in ijs
& paullò maiores ætate, & ita eruditi, vt si do-
cendo tantum educatio regia fieret, eo mune-
re vnus eorum & alter rectè fungeretur: quod
tamen in animi eiusmodi informatione potis-
simum consistit, vt singulari studio & magna
arte siue prudentia, ex eo opinionum & pra-
uarum inclinationum spinæ euellantur, ifq;
veris sententijs omniq; genere virtutum con-
seratur. Libet ex ijs mihi Liuonium nominare,
qui tum Græcos quoq; scriptores cæperat lege-
re, cum Latinos partim præmisisset, partim in
manibus haberet, Ioannem Ducarum: quod
is postea sapientiæ studijs perpolitus ad STE-
PHANVM regem Poloniæ, sapientissimum
principem, pro suis ciuibus luculentam ora-
tionem habuit, adeoq; in negotio minus gra-
to & regi & proceribus admirationi fuit. Ita
nihil, ni fallor, desiderari in educatione no-
strorum principū poterat: si quidem in officio
essemus, vt semper esse studuimus. Hoc erat
etiam nobis facilius, quod operas nostras ne-
mo interpellaret, vt in aulis plerunq; fieri vi-
demus. Cauerat enim pater, ne quis admit-
teretur

teretur, nisi quem ipse probauisset. Aderat sæ-
pè Dabercusius, quòd probus senex, quòd pu-
ritatis Latinæ studiosus, quòd ab adolescentia
in alia re nulla, quàm docenda pueritia fuerat.
Domus quoq; siue museum patebat & consi-
liarijs & claris hospitibus: sed cum primis gra-
tum erat, si senatores prouinciæ accederent, &
in principum studia & mores inquirerent. Ac-
cedebat item quotidie Bartholomæus Gryphi-
us Belga, vis doctus, multis ipse linguis, ma-
gnoq; vsu rerum præditus, qui apud Alfonsum
ducem Ferrariæ, patre Hercule adhuc impe-
rante, in Hispania, & post in Italia vixerat:
quem his diebus in Gallia ad Samualerianum
febri extinctum accepimus. De primis porro
studijs non loquar magnifice: tamen fuisse
maiorum proba semina positeri cur dubitem,
siue pietatem spectes siue mores, siue litteras?
Sic enim in his totos dies fuimus, vt hoc ad illa
referremus: fuitq; à me inculcatum, scientiam
nihil esse sine moribus & pietate: nec mores
in sola elegantia, sed in animo sitos: hunc rectè
fontem factorum & meritorum perhibe-
ri: nec pietatem in cæmonijs, sed in mente
defixa

defixa in parentem omnium: nec absq; illis ex-
istere, quas virtutes morum appellatione no-
tauimus. Fuit & exercitijs, quæ ætati conueni-
rent, tempus datum: atq; ita ipsi bona valetu-
dine ad omnia erant alacriores. Biennium
effluxerat, & animaduertebat pater nostras
operas non periisse. Profecerat enim IOAN-
NES pro captu satis, etiam in litteris, idq; an-
te pubertatem: SIGISMUNDVS AV-
GVSTVS, vt annis fratre minor, ita & inge-
nio erat inferior: nec tamen quidquam fue-
rat, in eo educando remissum de diligentia:
quin eam perpetuam adhibuimus: ego vero
de semel suscepta cura nihil deposui, noctes
diesq; meditās, quomodo officio mihi credito
satisfacerem, nec minimum negligerem, atq;
ita, & erga beneficentissimum patronum gra-
tus viderer, & cum de regia gente Megapoli-
tana, tum de illis populis benè mererer: quo-
rum à me hac conditionis humilitate, & for-
tunæ tenuitate, neutrum alia ratione, quàm
hac vnica præstari posse intelligerem. Vt o-
mnia faceret pater, maiorem natu filium mihi
reliquit, minorem tradidit Henrico Sibero, vi-

C

ro mi-

ro mihi olim cognito & amico, quem audie-
rat mirum esse in erudienda prima pueritia,
idq; ita se habebat: atq; ille ante omnia, quod
in Romana lingua & proprium erat & purum,
sedulo inculcabat: adolelcens fortunato-
rum hominum filios docuerar, pænè in eam
senectam: nec aliud egerat, aut tentarat: tum
verò recens Vinariæ docuerat ducis Saxoniæ
IOANNIS GVLIELMI filios, **FRIDE-**
RICVM GVLIELMVM & IOANNEM.
Vbi aduenit, sibi creditum docuit, & ingenio-
sum vnâ paruum puerum, nobili loco natum:
ambo profecere pro ingenij. Ipse, qui visus
fui altera parte laboris leuari, nullam dici par-
tem prætermisi, quin agerem aut cogitarem,
quod ad disciplinæ meæ alumni ingenium
moresq; perpoliendos faceret. In quo me ne-
gligentiorē pōst fuisse quis suspicetur qui co-
gitet, hanc honestam mihi cum Sibero con-
trouersiam fuisse? Ille cum ageret, quæ posset
omnia, nōnne ego & illum & meipsum supe-
rare conarer? Ego vero hoc feci, & præstiti,
quantum in me fuit: nec princeps **IOAN-**
NES nullius diligētiæ tum suæ tum meæ è stu-
dio vtro-

dio vtroq; litterarum & virtutis retulit: male-
uolentiæ vero & calumniæ satis factum à sum-
ma virtute nunquam fuit. Princeps meus erat
& probus, & modestus, & dicto audiens, & La-
tinè, quæ dicerentur intelligebat, quæ opus
erant, profari poterat. Etiam nunc puto, qui
mediocri ingenio, prima pubertate sic sit, lau-
dem mereri præcipuam: neq; etiam infimam,
qui adolescentulum in viam virtutis & bonæ
doctrinæ cura laboreq; suo duxerit: nec pos-
se ferè, neq; ab illo, neq; ab hoc requiri amplius:
& iniurium esse, qui plus, quàm præstari pos-
sit, flagitet. Et verò in Germania passim audi-
tum fuerat de hac disciplina: quæ cum prædi-
caretur; erant, qui nihil magis optarent, quàm
eadem filios suos educari: quod beneficium
multis dari non potuit: obtentum fuit tamen
pro Ioanne Ulrico Hohensaxio, Barone He-
luetico: idemq; sapiens princeps, O T H O,
dux Lunæburgicus, filio IOANNI FRI-
DERICO impetrauit. Illum ex eo tempore
laudem militarem à Belgicis expeditionibus
retulisse audio: hic egregius princeps hunc æ-
qualis & condiscipuli tūm sui casum se graui-

ter dolere mihi nuper ostendit; simul huma-
narum rerum fragilitatem inconstantiamq;
deplorans. Cæterum pater, dux IOANNES
ALBERTVS, sic initio decreuerat, vt an-
nos quatuor id muneric gererem: & quartus
iam procedebat, quando ille mecum sermo-
nem supra modum familiarem de ingenio, &
profectu, & exspectatione, & vltiore edu-
catione filij IOannis instituit. Dixi, quæ habe-
rem de prompta potissimum ex veterum mo-
numentis: audiuit me benignè: de multis iti-
dem quæsiuit: non potuit non assentiri ijs, quæ
dicerem. Erant enim recta & vera: ac prin-
ceps eruditus rationibus manus dabat. Nec
ignorabam tamen, quo iret, siue quid deside-
raret. Cum enim ex eloquentia laudem ipse
reportasset, sui similem in hac quoq; parte vo-
lebat esse filium, quem sibi olim successurum
crederet: & si licet hoc dicere, pænè omnia tri-
buebat eloquentiæ: quam ego opinionem
vereri me, vt vera sit, ibi tū verbo indicare au-
sus fui. Neq; hoc loco contendā, aliud esse fa-
cere, aliud dicere: vnū fieri sæpè absq; altero: &
parū falsumq; esse, dicere benè, ni facias benè:

ma-

magnum & verum & diuinum, benè facere,
etiam si benè dicendi facultatem non fueris a-
deptus: si princeps & dicat benè, & faciat be-
nè, laudem in vtroq; esse magnam, sed in hoc
maiores: in principe, vt dicat benè, non adeo
necessarium, summè necessarium, vt faciat
benè: ac nisi faciat benè, omnem iam amisisse
dignitatem boni principis. Nec id addam,
hoc decus non posse à quouis ingenio parari,
nec à quauis ætate. Sic igitur ego ad eum, qui-
cum altercandum non erat: nec eam spem
perijisse, sed singularia tempore prouenire:
facturum, quod possem, facere filium hacte-
nus, quod debeat. Deniq; supra modum dux
optimus Latina eloquentia capiebatur, & for-
tè credebat inueniri, cuius industria paternæ
exspectationi filius breui satisfaceret. Apparet
id consilium ex natura patris profectum. Ete-
nim optant filios sui similes esse, & se deniq;
præstantiores, & id agunt, quantum queunt,
nec quid omittunt, quod huc facere existime-
tur. Nec est aliquid rectius: modo in conside-
rationem simul veniat, & quid per cuiusq; in-
genium, & quam mature fieri possit. Nec inte-

rea me negligebat princeps: qui meo consilio
in rebus grauioribus, & domi & foris usurum
mihi deinceps indicaret: siue quod ita vellet,
siue ut exploraret animum meum, siue aliud
voluit, à mitissimo ipsius ingenio non alienū.
Id ego onus declinabam, cui vires ingenij nō
magnæ, corporis autem perexiguæ essent. Et
enim me noueram, nec ignorabam rationes
aulæ. Insuper Euripidis illud, pænè omnibus
notum, à plærisq; neglectum, memoria tene-
bam, ἔρδοι δὲ ἔκαστοι οὐνις εἰδεῖν τέχνην. Iubet quemq;
exercere artem, quam nouerit. Omne meum
studiū posueram in educatione iuuentutis, &
illustratione bonarum artium, ex quo ipse se-
dulò, nec prorsus infeliciter ingenium meum
excolueram, nec verò id neglexi deinceps, &
hodie sum in eo maximè, non solum, vt vtro-
q; illo munere rectius fungar, sed etiam ani-
mum meum ipse adiuuem. Obtinui igitur à
benigno principe, quod mihi in votis erat ma-
ximè, meq; meo tempore in locum, quem in
academia Rostochiana tenueram, retuli. Ar-
rogans foret, de me plura dicere, referentem
alia præter hæc, quæ ad hunc locum necessa-
ria vi-

ria visa mihi fuerant. Nam quod porro alio
doctore vti duci placuerit, id reprehendere
non debeo. Quid enim in principem, & hunc
supra omnes homines de me meritum? nec a-
lios præ me despiciam, nec intelligētum cen-
suram, quæ absq; inuidia fiat, reformidem, &
mihi plures anteferri æquo animo feram: de-
niq; imitandos mihi proposui, qui non solum
paribus cederent, inuidentes nemini, sed eti-
am optarent, se superari ab alijs virtute & me-
ritis erga remp. & eius generis quotidie plu-
res exoriri. Præerat tum ludo litterario Lu-
becæ Iobus Magdeburgus, bonus senex, non
minus Græcis, quàm Latinis litteris eruditus:
de eo dux cognouerat: cum eo per Siberum e-
git: persuaderi sibi passus fuit, *λόροισιντ̄ ἀγανοῖσι*,
λόγοισι πε αἰμυλιοῖσιν, aulæ ad senectam expers: quod
in ipso non possum fuisse, quiuis intelligit,
nec ex eo carpi ille potest. Ut in aulam venit,
vidit, quæ ibi gererentur: etiam tūm ibi eram,
propediem redditurus in academiam: nec ille
me sua, nec ego illum mea amicitia indignum
censui: quam tuemur in hunc diem: cum il-
le non minorem ex hoc tam acerbo nuncio
dolo-

dolorem acceperit, quām accepi ipse, qui ef-
ferri vidi principem, quem & suis paruulis li-
beris & patriæ viuere, omnibus cum animi,
tum fortunæ bonis florentem, expediret. Of-
ficio fungebatur Iobus, quām hoc rectissimè
id se facere intelligeret: quod & ego testari pos-
sum, & libenter facio, qui viderim, qui au-
dierim. Quod sibi polliceretur de alumno
disciplinæ tūm suæ, paullo antè meæ, non ha-
beo dicere: sed omnia affirmabat se facturū,
egit certè fideli studio, vt, quod in prima pueri-
tia fieri non poterat, principem quiq; cum eo
docebantur, in capitibus Christianæ fidei ple-
nius erudiret: in quo neq; fidem vltrò datam,
neq; sibi creditos auditores fefellit. Nec omi-
nit cætera, quæ vel ego inchoaueram, vel ille
insuper addenda, seu tentanda intelligeret.
Libenter enim & sine inuidia amico & viro
docto tribuam, quod neq; ipse mihi arrogem,
non solum, vt omnes, me pestilenti morbo
vacare, sed etiam & amicitiam sincerè, & ve-
ritatem ex animo colere animaduertant. Al-
ter illi annus procedebat, quando alter Megapoleos nauclerus, dux IOAN. ALBERTVS,

pater

pater principum, ante diem, vt loqui solemus,
siue ante senectam, ingrauescente primūm
ætate occidit: immo ex huius caducæ & tu-
multuariæ vitæ, siue perpetui exiliij calamitati-
bus, in quietem cælestis patriæ migravit. Cum
sentiret, se morti proximum, accersiuit fra-
trem germanum, ducem HVLDERI-
CV M, eiq; moriens & filios & remp. in ma-
nus tradidit, tutela credita & fratri & imperij
duobus septemuiris, Marchico IOAN. GE-
ORGio & Saxonico AVGusto. Tanti principes
in tutela patris quoq; animum cum in cæteris,
tum in filiorum educatione, religiosè obser-
uandum censuerunt, vt liberalibus artibus eti-
am erudirentur: quod quia domi non adeò
commode iam fieri videretur, consilium de lo-
co capitur. Ibi ego, siue laudabili quadam cu-
ra, siue curiositate non improba, bonis ratio-
nibus demonstro per epistolam Mariscalco
Megap. Ioachimo Luhio, viro erudito, opti-
marum partium & verè nobili, rectissimè eos
mitti primum in academiam Rostochianam.
Erat enim eius viri in senatu principis HVLD-
ERICI pænè prima auctoritas, & mecum

D

quidem

quidem ipse sentiebat: sed electori Augusto
id datum fuit, vt mitterentur Lipsiam cum
magistro: sed & aulæ principum magister,
quod Pelecano graue esset futurum alio trans-
ferre familiam, datus fuit Ioachimus Basseui-
tius, Megapolitanus, inter æquales & popula-
res doctrina & vsu rerum præclarè eruditus:
nec alij id munus rectius mandari potuit. Bas-
seuitio quoq; amici gratulabatur, & ego in pri-
mis, tum propter animorum ex ijsdem, siue
non admodum dissentientibus, studijs con-
iunctionem, tum quia inuidiam terga dare
gaudebam, quæ iuuenem ex palæstra ueni-
tem à campo haetenus prohibuerat. Est enim
nefarium quoddam genus hominum, bonis
indignantium, & quod in ipsis est, virtutem
prementium: siue quod contraria sibi inter se
semper infesta sunt, siue quod obscuri claros
luminibus suis officere suspicantur: sed vir-
tus tamen inuidiae impetus, quamuis acres su-
stinet, & tandem de ea hoste capitali victori-
am reportat. Fuit autem ex eo tempore Basse-
uitij fides & industria perspecta tum patriæ,
tum vicinis quoq; regnis. Vsus enim eius con-
filio

filio & opera fuit, rex Daniæ, FRIDERI-
CVS II, censor ingeniorum atq; animorum
eximius: utitur hodiè rex CHRISTIANVS
IV. qui patri sucessit in imperio: itemq;
dux Megap. HVLDERICVS. Dux igitur
IOANNES Lipsiæ tam in academia, quām
in vrbe erat in precio & in amoribus. Erat enī
in litteris non negligenter, æquales sui ordi-
nis reuerebatur, viros doctos colebat & foue-
bat, humanissimum se gerebat erga omnes,
beneficia in miseris & tenues conferebat. His
artibus laudem apud omnes, & omnium be-
nevolentiam princeps ille facile sibi párauit.
Quæ cum ex alijs accepisset, postea ipse vidi
illac transiens. Non longè aberat, quando ca-
pisceret rem publicam. Reuersus igitur ad su-
os Megapolitanos, adjit imperium iusta æta-
te, virtute & litteris instructus: quod cum pa-
truo, duce HVLDERICO gereret: sub id
tempus consilium quoq; cœpit de nuptijs: ux-
orem duxit bellicosi principis ADOLPHI,
ducis Holsatiæ filiam, SOPHIAM: ex qua
suscepit filios duos, ADOLPHVM FRI-
DERICVM & IOANNEM ALBERTVM,

D 2

filiam

filiam vnam, ANNAM SOPHIAM: modo orphanos, quod verbum excludit multum felicitatis: quostamen, vt suos, curæ sibi habebit magnus patruus, dux HVLDERICVS: neq; eos alter magnns patruus, dux CAROLVS, neq; patruus SIGISMUNDVS AVGUSTVS negliget. Cæterum dux IOANNES, in imperio, patris & patrui virtutes æmulabatur potissimas, iustitiam & beneficentiam, quas verè quis siue columnas siue animas regni dixerit. In his enim magis elucet maiestas, quam in summa potentia & gazis Arabum. Namq; & formicæ Indicæ auri montes possidere feruntur, & dracones Africæ solitudines occupant, longeq; à conspectu suo quidquid est animantium arcent: nec tamē cogitari potest in ijs dignitatis minimum, nedum aliquid diuinius. Etiam in hoc sapiebat, quod nihil in magnis rebus, nisi de voluntate & consilio patrui statuebat. Falsum enim putabat, ab eo dissentire, qui & animo esset erga se paterno, & ætate vnuq; omnem rationē nosset gerendæ reipublicæ: quiq; & domi & per Germaniam, & apud exterios reges auctoritate

tate plurimum valeret. Itaq; facile perfecit, vt
æquè carus esset suis omnibus, atq; patruus:
nec tam boni principis laudes illius prouinciæ
limitibus terminabantur: multus erat inter
bonos passim sermo, de humanitate principis
incredibili, beneficentiæ studio, cui tamen ip-
se se imparem intelligeret. Quid enim eo hu-
manius, in cuius verbis, vultu, moribus, nullū
asperitatis esset signum! erat nimirum huma-
nissimi patris filius & litteris humaniorib[us] eru-
ditus. Domi se erga suos & erga hospites gere-
bat, vt solebat pater. Semper autem quærebat
occasione[m] ad sermonem: nec erat genus vi-
tæ, siue artis, de quo non satis intelligeret, &
accuratè sciscitaretur. Ita nemo fuit, quin
principem, filium patris similē, optaret mul-
tos annos viuere: quem patrem patriæ, vt iam
tum erat princeps, omni vita futurum nemo
dubitaret. Nec quisquam secus suspicari po-
terat, cum si quid esset vacuum temporis, id
ferè omne impenderet litteris: immo sacrarū
litterarum lectioni & meditationi & locum &
tempus constituerat. Quod neq; superstiti-
one faciebat, qua stolidi quid subiectissimo

D³ cultu

cultu venerantur, cui neq; nos neq; nostrorū
aliquid debemus, vel modum religionis insti-
tuunt, quem quisq; sibi somniarit: neq; simu-
latione, qua religionis famā apud homines
astute aucupantibus spectatores fallere licitū
est. Verum neq; verborū blanditijs, neq; splen-
dore victimarum, neq; cærimoniarum appa-
ratu capit, cui omnia & præsentia sunt & in
oculis. Sed faciebat casta animi pietate non
dubitans, quem coleret, fiducia in eundem,
quæcunq; euenirent, posita. Mietur hoc quis
etiam in priuatis: sed in principe sobrio minus
mirum videri debet. Namq; & in studio tem-
perantiæ patrem æmulabatur & patruū: quo-
rum neuter, nisi conuiuio magnus hospes, re-
gij loci atq; ordinis exciperetur, se largius in-
uitare visus fuit Interdum enim moribus ob-
sequimur mortalis, vel in eo, quod minus pro-
bemus. Hoc oportere quoq;, in vita commu-
ni dixerim, non in schola sapientum: etsi &
hæc inter mortales est, & non nihil opinioni-
bus distrahitur. Quam bonus verò princeps
fuerit IOANNES, dolor & principum & to-
tius prouinciæ, quantum verbis effari non va-
leam,

Icam, testatum fecit. Vidimus enim & principum & populi eam vim lacrymarum, cuiusmodi nullo in luctu Megapolitano visa fuerit ab ultima hominum memoria. Fuit autem à me expositus diligenter vitæ cursus principis, omnino breuis, inter varios fluctus, ad hunc usq; scopulum. Iam doceat nos aliquis sapientum, (mihi enim non liquet) in fatisnè fuerit, principē natura, exemplis, educatione, litteris, placidū, humanū, pium, iustū, beneficium, casu perire tam miserabili : ctsi ille nō perijt, sed ex hac vita, vt caduca; vt omnibus casibus exposita ! in æternam beatamq; transiit. Quibus enim adhuc diebus pauculis hanc lucem vidit, inter corporis incredibiles ac perpetuos cruciatus, & ab his ipsis, quantum potuit, & à rebus, quæ ad mortalem vitam respiciunt, abruptum animum, & conuertit omnem ad Deum. Testatur omnis aula, quæ tunc eo loco erat, qui ijs diebus sermones, que sacrarum litterarū recitationes, quam acres preces, quæ vox principis ultima fuerit. Pondus item habet ministri ecclesiæ testimonium, quod & voce & scripto edit, cum minutissima quæq; de die in diem obseruasset, & annotasset omnia bona fide, ipse homo pius & integer. Deniq; apud me, valet plurimum, & valere debet apud omnes auctoritas viri ad primè nobilis, Hermanni Camzij: non degrege theologi, sed qualem informat theologorum Græcæ ecclesiæ princeps Nazianzenus. Hic enim sacerdotio non inhiauit, ob dignitatem, ob opes, ob dominatum : immo secutus

lecutus videtur, à quo omnium, vt ita dicam, exemplis auer-
teretur. Quotus enim quisq; lautiorum & cautorum, id ge-
nus vitæ expetit, in quo præter molestias & labores, con-
temptus, inopia, odium, periculum, exilium, crux deniq;, pro
præmio speranda sunt? Cum iuuenis olim magni & ele-
gantis ingenij, & benè eruditus, se totum ad pietatem con-
tulisset, ecclesiæ seruatoris aliquo saltem loco in pietate cō-
firmatum seruire minimè puduit. Sed hic Camzius, cum ob-
valetudinem, & sacri gregis suæ fidei crediti tempus necef-
farium, ipse Suerinum non veniret, accurata epistola fecit
ducem H V L D E R I C V M certiorem, vt ducem IO A N-
N E M pænè in mortis articulo audierit, consolationes pro-
nunciaritem, quas ipse depromere in animo habuisset. Quæ
cum sint ab alijs & verè & dextrè & copiosè explicata, &
omnino melius, quam à me fieri possit, finem dicendi hic
faciam. Nec enim dispicio, quod dici debeat amplius, præ-
ter id, quod fuit vltimum in altera funebri. Hoc enim codē
animo, ijsdem verbis repetendum censeo: quod vnum ex
omnibus reliquum est, vt ad diuinam maiestatem vota fa-
ciamus propria salute publica: vt regum ille rex & humani ge-
neris custos, in hoc duplicato grauissimo luctu mæstissimæ
Megapoli præsto sit, & cum alios huius regiæ gentis princi-
pes, tum patrem patriæ ducem H V L D E R I C V M, iusti-
tia, sapientia, & beneficentia præstantem, & hisce populis
& imperio conseruet quam diutissimè. Id Megapolitani sua
cum primis interesse: sed cæteri etiam ad salutem Germaniæ
in hac principum tam usu rerum, quam consilio præ-
stantium paucitate, & tanto periculorum do-
mi forisq; imminentium metu, perti-
nere non falsò existi-
mant.

F I N I S.

WV 1999

[70/98]

ULB Halle
001 915 363

3




Sb.

V3 17 ✓
Retro ✓



70

B.I.G.



IOAN. CASELII
Oratio funebris
ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
IOANNI
duci Megapolitano, principi
VANDALORVM &c. SCRIPTA
IN ACAD. IVLIA.



HELMÆSTADII
Ex officina typographica Jacobi Lucij.
Anno M. D. XCII.